DL 421
.H6
Copy 1

LIBRARY OF CONGRESS.

[SMITHSONIAN DEPOSIT.]

Chap. DL421

Shelf .H6

UNITED STATES OF AMERICA.

DESCRIPTIO
ORNAMENTORUM MAXIMAM PARTEM AUREORUM

ET

NUMORUM SAECULI VIII^vi ET IX^ni,

IN PRAEDIO HOEN, IN PAROCHIA EGER

IN DIOECESI NORVEGIAE AGERSHUSIENSI,

ANNI MDCCCXXXIV MENSE AUGUSTO,

REPERTORUM,

AUCT.

Chr. Andr. Holmboe,

PROF. LINGG. ORIENT. ET NUMOPHYLACII UNIV. PRÆFECTO.

CUM DUABUS TABULIS LAPIDI INCISIS.

AD DIEM NATALEM AUG. REGIS CAROLI JOHANNIS ANNO MDCCCXXXV CELEBRANDUM, PROLUDENDI CAUSA CONSCRIPTA, & JUSSU COLLEGII ACADEMICI UNIV. REG. FRED. ETIAM SEORSUM EDITA.

CHRISTIANIÆ.

TYPIS LEHMANNIANIS.

MDCCCXXXV.

DL421
H6

*) ما لا يعلم كله لا يترك كله فان العلم بالبعض خير من الجهل بالكل

Abul-Feda, in Geographia.

Inter thesauros, qvos terra ante multa secula sibi commsissos nostris tandem temporibus luci reddidit, illustrem sibi locum vindicant ornamenta et numi, quæ anni **1834** mense Augusto in prædio *Hoen* dicto in parochia *Eger* in dioecesi *Norvegiæ* Aggershusiensi sunt reperta. Maxima eorum pars ex auro purissimo est elaborata; pauca sunt argentea. Qvæ sunt aurea, ponderis sunt $88\frac{1}{16}$ unciarum. Metalli pretium itaque magnum; sed multo majoris hasce res æstimat antiquitatis amans, et ob ætatem & ob varietatem & ob omnium in uno loco collectionem.

In planitie lutosa, **20** s. **30** passus ab ædificiis prædii sita, ubi antea palus fuit, quæ recentioribus temporibus partim naturâ partim arte est exsiccata, mercenarius incilia ducens, die **12**mo Aug. res illas, tres pedes sub superficie occultas et omnes materia albicante involutas, quæ reliquiæ pannuli fuisse videbatur, aëre vero admisso brevi evanuit. Unum modo ornamentum, fibula, infra loco **6**to describenda, die **16**to Aug. reperta est, sed in luto, quod

*) ɔ: Qvod totum non est notum, non totum est negligendum, nam partem nosse præstat qvam totum ignorare.

ex eo loco, ubi cetera apparuerant, effossum erat, unde concludendum, hanc fodiendo a ceteris fuisse separatam.

Quum ab hisce ornamentis, qvæ historiam medii ævi scrutanti magni sunt momenti, describendis R. KEYSER, lector historiæ, antiquitatum septentrionalium peritissimus, aliis occupationibus districtus non solum hodie impediretur, sed diu etiam impeditus fore videretur, ne tam diu ignota relinqverentur, ea describere sum ausus, pluribus ab hoc viro doctissimo adjumentis mecum communicatis.

Numi & ornamenta aurea sunt numero 52, argentea numero 13, & fragmenta nonulla. Ad ea describenda aggrediar.

1. *Orbis magnus aureus*, ponderis $37\frac{3}{4}$ unciarum, formæ fere circularis, diametri $11\frac{1}{2}$ pollicum. Ex tribus virgis sive filis crassis aureis octangulis, qvorum pars media plus duplo crassior est quam fines, est contortus. Fines horum non sibi occurrunt, sed duabus aliis virgis aureis sunt annexi, qvarum fines sibi occurrentes sunt contorti. Per spatia, sibi invicem non omnino æqvalia, qvinqve habet nodos qvorum qvisque ternis minoribus nodis qvadrilateris, singulis in singulis filis, efficitur. In singulis nodis typi sat rudes sunt incusi. Hic orbis collo ornando destinatus fuisse videtur. Pars tenuissima cervici et maxime crassa (diametri $\frac{1}{2}$ pollicis), ubi maximus est nodus, pectori imponebatur. Formam hujus orbis magnitudine dimidia exhibet Tab. I. fig. I.

2. *Orbis aureus minor*, ponderis $10\frac{3}{32}$ unciarum, diametri 9 pollicum, e sex filis crassis aureis factus, qvorum bini contorti tres formant duplices, qui rursus sunt contorti. Nexus contorsione finium est effectus, et hoc loco crassities est dimidio minor quam loco opposito. Hic etiam collo ornando inserviisse videtur. Formam ejus magnit. dim. exhibet Tab. I. fig. 2.

3. *Orbis aureus oblongus*, ponderis $13\frac{15}{16}$ unciarum, diametri majoris $3\frac{3}{4}$ pollicum, minoris $2\frac{3}{4}$ pollicum, e sex virgis aureis crassioribus, eadem ratione ac proxime antecedens, contortus, et nexus similis, qvo loco est maxime tenuis,

opposito maxime crassus ($\frac{3}{4}$ poll.). Formam hujus, magn. dim. exhibet. Tab. I. fig. 3.

4. *Orbis aureus oblongus*, ponderis $10\frac{3}{8}$ unciarum, diametri majoris $3\frac{1}{2}$ poll., minoris $2\frac{1}{2}$ poll., instar ejus, qvem primo loco descripsi, ex tribus crassis filis aureis contortus, qvorum pars media est crassior, qvam fines, quos virga aurea simplex connectit. Formam hujus, magn. dim. exh. Tab. I. fig. 4.

5. *Orbis aureus oblongus*, ponderis $3\frac{7}{16}$ unciarum, diametri majoris 3 poll., minoris $2\frac{1}{2}$ poll., e virga aurea simplici formatus cujus pars media multo crassior quam fines, extrorsum semirotunda, introrsum plana, fines vero rotundi & nexu juncti. Formam hujus, magn. dim. exh. Tab I. fig. 5.

Qui 3tio, 4to & 5to loco sunt descripti *armillae* fuisse videntur, et sicut etiam præcedentes, tempore paganitatis haud dubie in Norvegia elaborati sunt. Nam orbes & annuli minores, simili modo contorti in Norvegia in sepulcris gentilium sæpius reperiuntur. Vetustatem indicant et juncturæ, nexu, non ferruminatione, factæ, & typi incusi sat rudes, qvi artis infantiam produnt.

6. *Fibula pectoralis aurea*, ponderis $4\frac{31}{32}$ unciarum, e lamina aurea convexa elaborata, & foliis aureis ornata tenuibus, inter qvæ lineæ vitri metallici glauci sinuantur. Lateri interiori acus crassa argentea antea affixa fuit, nunc inde soluta, cujus cuspis ansæ aureæ eidem lateri affixæ erat inserenda. Hæc fibula vesti ante pectus jungendæ inserviisse videtur. Formam fibulæ & acus, magnitudine verâ exhibet Tab. I. fig. 6 & 7.

Latus fibulæ interius magn. dim. exhibet Tab. I. fig. 6. b.

In terris septentrionalibus haud raro reperiuntur fibulæ ejusdem fere formæ tripartitæ sed minores opere rudiori & metallo viliori, aheneæ scilicet, cfr. Nordiska Fornlemningar af I. G. LILIEGREN. Stockholm 1823. 2dra Bandet. LXXI. & Samlingar för Nordens Fornälskare af N. H. SJÖBORG. Stockholm 1824. Tom 2. Pl. 7. fig. 23. In museo univerestatis Norvegicæ similes asservantur. Fibula nostra vero elegantiæ & artis est majoris quam ut

priscis temporibus in septentrione facta esse sit censenda; ex australibus Europa terris, fortasse e Græcia, unde plures res postea enumerandæ sunt oriundæ, huc venisse videtur.

7. *Numi* 19 *aurei* & *argentei*, nimirum:

a. Numi *cufici* Abbasidici 9, quorum aurei 8, argenteus unus.

α. Numus aureus *Mansuris* Chalifæ.

P. adv. in area:

*) ٥: لا اله الا الله وحده لا شريك له Non est Deus nisi Deus unicus. Socio caret.

in marg.:

٥: محمد رسول الله ارسله بالهدي ودين الحق ليظهره علي الدين كله

Mohammed est Apostolus Dei, missus ut directionem et religionem veram, quâ est instructus (reliquis) religionibus omnibus superiorem reddat.

(e Corani Sur. 9, v. 34.)

P. av. in area: ٥: محمد رسول الله Mohammed Apostolus Dei.

in marg.:

٥: بسم الله ضرب هذا الدينر سنه اثنتين وخمسين ومية

In nomine Dei cusus est hic denarius (٥: aureus) anno 152 (= 769 p. Chr. n)

β. Numus *Mehdii*, Chalifæ:

P. adv. ut in lit. α.

P. av. ut in lit. α, sed in marg. annus 162 = 778-79 p. Chr. n.

γ. Numus *Harunis al Raschidi*, Chalifæ.

P. adv. ut in lit. α.

P. av. ut in lit. α, sed in area subtus: ٥: جعفر Dschafar, et in marg. annus 180 = 796-97 p. Chr. n.

Dschàfar, cujus in hoc numo fit mentio, ex illustri gente Barmekidarum,

---

*) Literæ numorum cuficæ in descriptione literis neschiis sunt expressæ.

primum ab Harune admodum dilectus, Vezirius (ɔ: princeps consiliorum et rerum gerendarum administer) anno 182 est creatus, postea anno 187 supplicio traditus. Hunc numum depictum exhibet Tab. II. fig. 8.*)

δ. Numus *Amini*, filii Harunis, hæredis regni.

P. adv. ut inlit. α.

P. av. area ut in lit. α.

marg. exterior ut in lit. α, sed annus, ut videtur, 182 = 798-99 p. Chr. n.

marg. interior:

ɔ: مما امر به الامير الامين محمد بن امير المومنين

(Numus hic) ex iis est, qvos (cudi) jussit Emirus al-Amin Mohammed, filius Emiri fidelium.

ε. Numus *Harunis*.

P. adv. ut in lit. α.

P. av. ut in lit. α, sed in area subtus: ɔ: الخليفة: Chalifa, et in marg: annus, ut videtur, 182, vocabulo numerum denarium indicante sub ansa affixa latente.

ζ. Numus similis, sed anni 184 = 800 p. Chr. n.

η. Numus *Motevakkelis*, Chalifæ.

P. adv. area ut in lit. α.

marg. inter. ɔ: بسم الله etc. بمرو سنة اربع وثلثين ومينين

In nomine Dei etc. Mervæ anno 234 (= 848-49 p. Chr. n.)

marg. exter. ɔ: الامر لله من قبل ومن بعد ويومئذ يفرح المومنون بنصر الله

(Cor. Sur. 30, 4. 5.)

Dei erat eritque imperinm, et illo die auxilio Dei lætabuntur Fideles.

P. av. in area ɔ: لله — محمد رسول الله المتوكل علي الله

Deo! Mohammed est Apostolus Dei. Al-Motevakkel al'-allah.

---

*) Numi & qvæ seqvuntur ornamenta omnia magnitudine verâ sunt depicta.

in marg. ut in marg. part. adv. lit *a*. sed hisce adjectis:
ولو كره المشركون ٥: vel invitis plurium Deorum cultoribus.

In hoc numo solo mentio fit urbis, ubi est cusus, Mervæ scilicet, urbis Chorasanæ, provinciæ Persiæ orientalis. Hunc numum depictum exhibet Tab. II. fig. 9.

ϑ. Numus aureus.

P. adv. ut in lit *a*.

P. av. ut in lit. *a*. sed in area supra لله ٥: Deo (sit laus!) et in margine annus detritus.

ι. Numus argenteus.

Area utraque ut in lit. *a*, sed margo utraque detrita.

Numorum septem priorum nullus in museo Asiatico academiæ imperialis Petropolitanæ anno 1826 adfuit, quo anno cel. C. M. FRÆHN recensionem numorum Mohammedanorum hujus academiæ, quâ talibus numis nullum in Europa numophylacium est locupletius, edidit.

b. Numi *Byzantini* aurei qvatuor.

a. P. adv. DN VALENS PF AVG. Protome diademate ornata, & dextra porrecta, sin. sceptrum tenens. P. av. SALVS REIP. Vir paludatus stans d. labarum, s. Victoriolam, captivum pede dextro calcans. In area duo astra. Subtus: SMT.

Hic numus qui nec in museo Vindob. nec in museo regis Daniæ invenitur, a cel. Mionnet raris adscribitur. Cusus inter annos 364 & 378 p. Chr. n.

β. P. adv. MIXAHL S ΘЄΟΔΟRA. Protomæ adversæ imperatoris & matris Theodoræ.

P. av. IhSUS X(R)ISTOS * Protome adversa Christi. Pone crux.

Hic numus, qui a Michaele III, ab anno 842 ad 867 p. Chr. n. regnante, est cusus, & in Museo Vindob. solus hujus imperatoris numus adest, a cel. Mionnet raris adscribitur.

γ. P. adv. . . . . TIbPF AVG. Protome adversa stemmate crucigero ornata.

P. av. VICTORIA AVGG. Typus detritus.

Numus *Tiberii Constantini* (inter annos 578 et 582 regnantis) esse videtur

δ. P. adv. CO (margo reliqua abscissa). Protomæ duæ viriles.

P. av. margo abscissa. Protome virilis, d. crucem

Typus uterque omnino similis numo Constantini Vti Copronymi (inter annos 741 - 775 regnantis) qui in Catalogo Musei Vindobonensis P. II. Tab. II. n. 4, depictus exhibetur.

c. Numi *Francogallici* qvinqve.

α. Aureus. P. adv. DN HNVVDOVS NHAVG. Caput diademate cinctum. P. av. SMVNVS DIVINVMIS (retrograde) Crux coronâ (laureâ?) cincta.

Totus numus serie triplici globulorum aureorum cinctus, & ansa eleganti, cujus pars abest, instructus. Hunc delineatum præbet Tab. II, fig. 10.

β. Alius aureus similis, sed sine serie globulorum, & ansâ rudiori præditus.

Quanquam inscriptio adv. nomen barbarice scriptum exhibet, vix est dubium, quin hi numi a Ludovico Pio (ab anno 814 ad 840 regnante) sint cusi. Nam cel. Le Blanc in opere: „Traité historique des monnoyes de France. Amsterdam 1692“ pag. 107, numos hujus imperatoris exhibet, qvorum pars aversa nostris omnino est similis, et pars adv. fert: DN HLVDOVVICVS IMPAVG, quæ inscriptio in nostris numis a sculptore male expressa videtur.

γ. Aureus. p. adv. HL (VD) OVVICVS IMPAVG. Caput laurea cinctum. P. av. HARILATVM†. Propylæum templi. Cfr. Tab. II. fig. 11.

Fere similem, sed argenteum, exhibet Le Blanc l. c. n. 4. Hosce numos esse Luduvici Pii & non Ludovici IIdi, exinde apparet, qvod capita omnino similia in sigillis illius imperatoris exstant. Cfr. Trésor de Numismatique et de Glyptique, gravé par les procedés de M. Achille Collas, sous la direction de M. P. Delaroche, M. H. Dupont et M. Ch. Lenormant. Paris 1834. 1re Livraison de la 9me série, 2de classe. Pl. I. n. 10 & 11.

δ. Argenteus inauratus. P. adv. †PIPPINVS RE(X). Protome regis. P. av. AQVITV (sic) NIVORVM. Propylæum templi, in quo crux.

Hic est numus Pipini, (Ludovici Pii filii), regis Aquitaniæ, qui ante patrem mortuus est. Numum fere similem exhibet Le Blanc. l. c. pag. 111.

ε. Argenteus inauratus. P. adv. HLOTHARIVS ΛCS. Caput diademate (vel corona laurea?) cinctum. P. av. XRISTIANA RIHCIO. Propylæum templi. Cfr. Tab. II. fig. 12.

Hunc numum esse Lotharii imperatoris (ab anno 817 ad 855 regnantis), litt. ACS, quæ *Augustus* sunt legendæ, arguunt, Lothario filio non nisi *rege* appellato. Numus similis cum capite imperatoris apud Le Blanc desideratur; sed numum cum p. av. simili l. c. p. 113 n. 4. exstat, ubi legitur XRISTIANA RELCIO, legendum: *Christiana Religio.*

d. Numus *Anglosaxonicus* argenteus inauratus. P. adv. †VVLFRED (A) R....IEPI. Protome adversa. P. av. †SAEBERHT MONE(T)A. Monogramma. Cfr. Tab. II. fig. 13.

Hic numus a Vulfredo Archiepiscopo Cantabrigiensi (inter annos 803 & 829 p. Chr. n.) est cusus. Fere similem exhibet „*Saxon Chronicle with an english translation &c. by the Rev. I. Ingram.* London 1823. Pl. 2. n. 33. Roger Rudings Annals of the coinage of Britain adire non licuit.

Numi hi omnes ansas habent affixas, unde concludere licet, eos ex torque aptos fuisse. Qvæ inscriptionum literæ sub ansis latent, eas uncinis inclusi.

8. Multa ornamenta minora, maximam partem aurea, pauca argentea inaurata, nonnulla ansis instructa, plurima, ut videtur, torqui olim inserta. Sunt hujuscemodi:

a. *Laminæ aureæ planæ* & rotundæ, magnitudinis diversæ (maximæ diametros 2 est pollicum), ansis margini affixis, et in uno latere ornatæ helicibus s. volutis ejusdem metalli, partim ferruminatione affixis partim cælaturâ formatis. Exemplo sint Tab. II. fig. 14 & 15.

b. *Laminæ aureæ convexæ* & rotundæ, in latere prominente eadem ratione, ac proximo loco laudatæ, ornatæ. Exemplo sit Tab. II. fig. 16.

c. *Globuli aurei* cavi & perforati, filo inserendi, helicibus ornati ejusdem fere formæ atque in laminis. Cfr. Tab. II. fig. 17. Uni globuli vitrei nigri sunt inclusi. Cfr. Tab. II. fig. 18.

d. Duæ *laminæ aureæ duplices*, ansis margini affixis; alteri inclusa est gemma (corneolus s. sarda), cui incisa est imago hominis pileo tecti, dextrâ piscem cauda tenens, sinistra harpagonem(?), gemma alteri laminæ qvondam inclusa hodie abest. Lamina altera alteri omnino similis. Lamina simplex

convexa, gemmam circumdans, eadem fere ratioue ac laminæ & globuli antea, descripti, est ornata. Cfr. Tab. II. fig. 19.

e. *Lamina aurea crassior* rotunda, serie duplici globulorum aureorum, in altera parte admodum prominente, circumdata; marginis partibus sibi oppositis ansæ binæ sunt affixæ. Huic laminæ Græca hæc inest inscriptio:

ΚΕΒΟΗΘΙΤΩΣΩΔΟΥΛΩΙΟΑΝΝ,

qvæ legenda videtur:

κύριε βοηθι τῳ σῳ δουλῳ Ιοανν ο: *Domine! succure servo tuo Joanni.* Hæc inscriptio est incisa, et ornamento ad speciem coronæ etiam inciso circumdata. Pars aversa nunc aperta olim laminâ operta fuisse videtur, ita ut capsulam formaret, haud dubie reliquiis sacris asservandis inservientem, quod inscriptio indicare videtur. — Formam hujus vide Tab. II. fig. 20.

f. *Serpens aureus* convolutus, in parte aversa planus & ansa præditus. Cfr. Tab. II. fig. 21.

g. *Involucrum* qvoddam *aureum* ad speciem fistulæ, cum duabus ansis affixis. Cfr. Tab. . fig. 22.

h. *Annulus crassus aureus*, pala præditus, figura cruciformi & pluribus vitri glauci globulis inclusis ornata; in orbe tres figuræ draconum (fig. 23 b.) insculptæ. Virga aurea minor, ornamentis carens, convoluta annulo inserta est, & annulo torqui annectendo inserviise videtur. Cfr. Tab II. fig. 23.

i. *Annulus aureus*, e filo aureo, instar seriei globulorum formato, factus, cujus fines ita sunt connexi, ut ex arbitrio laxari vel coarctari possit.

k. *Lamina argentea*, rotunda convexa inaurata, ansâ instructa, cujus lateri prominenti particulæ vitri sunt inclusæ. Cfr. Tab. II. fig. 24.

l. *Laminæ argenteæ* quadrangulæ inauratæ, ansis instructæ, helicibus serpentum instar sinuosis, ornatæ, quæ tamen ab iis sunt diversæ, quæ in laminis aureisinveniuntur. Harum exempla vide Tab. II. fig. 25, 26 et 27.

Hæ laminæ fabricæ Norvegicæ vel saltem septentrionalis esse videntur; nam figuræ his adaptatæ similes sunt iis, quæ sæpius in cippis (Bautastene*) sæculorum 9ni & proxime sequentium & rebus occurrunt aliis, quæ in sepulcris e tempore paganitatis reperiuntur.

---

*) Cfr. Bautil d. e. Alle Svea ok Götha Rikens Bautastenar af J. Göranson, Stockholm 1750 fol. et Sjöborg Samlingar etc. passim.

m. *Orbis*, e filo argenteo factus, cujus fines contorti ansam efficiunt. Huic orbi inserti sunt alternatim globuli novem e vitro glauco facti, & annuli parvi aurei octo. Hujus formam exhibet Tab. II, fig. 28.

n. Aliorum ornamentorum aureorum exempla exhibent Tab. II. fig. 29, 30 et 31.

Laminas argenteas sub lit. l. commemmoratas si exceperis, et fortasse etiam duas vel tres laminas aureas rotundas, qvibus ornatus illarum similes insunt, ceteræ sub n. 8. commemoratæ res fere omnes extra septentrionem elaboratæ videntur, quum ornatus artem prodant majorem, quam ut in ætate tam prisca, quam cui res hasce esse adscribendas sit verisimile, in Norvegia vel terris vicinis elaboratæ esse sint censendæ. Ex inscriptione græca cujus supra fit mentio, et numis byzantinis concludere licet, nonnulla saltem ornamenta e Græcia esse oriunda, sicuti numi ceteri etiam nonnullorum patriam prodere possunt.

9. Centum *globuli* s. margaritæ arte factæ, maximam partem *e vitro* diversi coloris aut ex argilla cocta facti, formæ et coloris diversi. Pauci e vitro pellucido facti, introrsum auro obducti, præcipue memoratu digni. Omnes hi globuli, in australibus terris sine dubio fabricati, ejusdem generis sunt atque alii, qui non raro in tumulis Norvegicis, e tempore paganitatis, reperiuntur.

Quin hæ res omnes olim ornamenta fuerint, dubitari nequit, quum ipsi numi ansis sint instructi, ut monili cuidam jungerentur, et orbes et annuli aurei cura majori sint elaborati, quam qui olim numorum vicibus fungebantur; hæ enim virgæ aureæ rudes erant, in orbem, plerumque spiralem, convolutæ.

Tempus, quo terræ sint commissæ, accurate quidem definiri non potest, multa tamen adsunt indicia, quæ sæculum decimum vel undecimum arguant.

a. Numos si consideramus, tempus quidem quinque fere sæculorum inter antiquissimum et maxime recentem effluxit (ab anno 364 ad anno 867), sed ex omnibus (undeviginti) quatuordecim intra sæculi spatium (inter 769 et 867) sunt signati, et tres alii eidem tempori adjudicandi videntur (lit. a. ϑ. ι et lit. b. δ). Non est nisi unus (lit. b. α) qui sec. 4to certe est adscribendus, et unus (lit. b. γ.) qui sec. 6to cusus videtur. Hinc concludendum videtur, numos non ante seculi 9ni partem posteriorem esse collectos et monili adjunctos, et vix ante seculum 10mum terræ commissos, quum inter maxime recentes sit byzantinus (lit. b. β) et aliqvod spatium temporis, ut ex Constantinopoli in Norvegiam veniret, et postea ut ornatui inserviret, elapsum esse sit necesse.

Observatu deinde dignum est, inter numos nullum Scandinavicum reperiri. Constat, numos in Scandinavia, si non prius, saltem, a Canuto Magno, Daniæ et Norvegiæ rege, Olavo, Skötkonung dicto, Sveciæ rege, et Magno Bono, Norve-

giæ et Daniæ rege, in initio seculi undecimi esse cusos. Si tempore, quo res repertæ ornatui inserviebant, numi Scandinavici exstitissent, non intelligitur, cur hi e monili exclusi fuissent. Verosimile itaque, res terræ esse commissas seculo decimo vel in initio seculi undecimi*)

b. Forma aliarum priscum tempus (ut n. 1. 2. 3. 4. 5), aliarum (ut n. 8. 1.) secula nonum vel proxime seqventia arguit.

c. Globuli vitrei repertis similes sæpius in sepulcris Norvegorum *gentilium* reperiuntur.

Quam ob rem hic thesaurus in paludem sit demersus scrutanti duæ imprimis conjecturæ se præbent, altera, regem vel ducem Norvigicum hasce res possedisse sed, periculo appropinquante, eas in palude occultasse, altera, quæ magis arridet, unum vel plura idola gentilia iis ornata fuisse, & quo tempore (seculo decimo et undecimo ineunte) religio Christiana in Norvegia invalescere cæpit, idololatram ardentem (quum templa gentilia a reformatoribus non raro divitiis spoliarentur) eas abstulisse et occultasse, ne raperentur vel tactu Christianorum inquinarentur. Hæc conjectura eo magis probanda, quod et armillæ tres angustiores sunt, quam ut vir adultus manum eis inserere potuerit, graviores vero, quam quas femina facile gestaret, et e pluribus auctorum antiquorum locis, idola monilibus aureis et argenteis fuisse ornata, constat, e. gr.

---

*) Ut conjecturam proponam, quomodo numi ejusdem fere ævi e regionibus inter se tam dissitis in unum locum convenerint, vero non dissimile mihi videtur, hoc in Gallia vel Hispania factum esse. Nam numi nonnulli sunt Gallici & numus unicus Anglosaxonicus in Gallia relictus esse potest, quum Vulfredus Archiep. anno Chr. 812 iter Romam fecit (cfr. Saxon Chronicle-ed. Ingram p. 85. 86); & numi byzantini per commercia vel bella in Oriente ad Arabes transire potuerunt & inde unacum cuficis ad Arabes in Hispaniam. Expeditione maritima, quam pluries seculo nono et decimo in Galliam & Hispaniam fecerunt Normanni, exinde numos et nonulla fortasse ornamentorum reportasse censeri possunt. Dubium movere potest, qvod in numis repertis nullus adest Hispanus; sed Arabes in Hispania numis Chalifarum orientalium etiam postqvam eorum imperio parere recusaverant, usi esse & pauci modo numi ab Arabibus in Hispania cusi videntur, quum tales numi hodie sint rarissimi, numi vero cufici orientales non item. In Collectione nova numorum Cuficorum &c. dig. & expl. a. I. G. C. ADLER. Hafniæ 1792, inter 116 numos cuf., p. 159-166. non nisi quatuor numi hispani, (duo argentei et duo ænei) quorum unus tantum ante seculum 11mum (æræ christ.) est cusus, memorantur. In cel. Frælnii recensione numorum muhamedanorum societatis scientiarum Petropolitanæ, supra laudata, inter pluries centenos numos cuficos non nisi 34 Hispani (qvorum unus tantum anni heg. 551 - 1156 p. Chr. n., aureus, ceteri argentei & ænei) recensentur.

In historia Olai Tryggvii filii (regis Norvegiæ) P. II. cap. 24. p. 101 et 102 ed. Skalholtensis, ita describitur idolum Thori, in templo principali Thrandorum interiorum in Mæren.*)

„*Enn er their kvamo i hofit, ſkorti thar ei ſkurdgod, Thor ſat i midiu, hann var meſt tignathur, hann var mikill oc allur buinn g u l l i oc ſ i l f r i, sa var umbunadr Thors, at hann ſat i kerru, hun var miök glæſileg, fyrir hanom voru beitter trie hafrar ii harla vel geörver, a hvelum lek hvörutveggea kerran oc hafrarner, hornataug hafranna var ſlunginn af sylfri, alt var thetta ſmidi med underliga miklum hagleik*“

ɔ: „Illis (rege & comitibus) templum intrantibus, inopia non erat idolorum. Thorus medius sedebat, maximo honore cultus; magnus erat & totus *auro & argento ornatus.* Idolum Thori ita erat formatum, ut in veha sederet admodum splendida, cui hirci duo optime elaborati erant juncti; & veha & hirci rotis erant instructi; circum cornua hircorum catena argentea erat circumvoluta. Omnia ornamenta mirabiliter elaborata erant.“

In historia Olai Sancti, auctore Snorrio Sturlæ filio, cap. 118 et 119 idolum Thori in templo in Hundthorp, prædio in Gudbrandsdalen (in parochia nunc Froen dicta in dioecesi Agershusiensi) ita describitur:

„*Um qvelldit, thá ſpyr konungr son Gudbrands, hvernog god theirra væri gört; han ſegir, at hann var merktr eptir Thór, oc hefir hann hamar i hendi, oc mikill vexti oc holr innan oc görr undir honom sem hiallr ſe, oc ſtendr hann thar á ofan, er hann er uti. Eigi skortir hann g u l l oc ſ i l f r á sér.*“

ɔ: „Vespertino sempore rex (Olaus Sanctus) filium Gudbrandi (in proelio captivum factum) interrogat, quomodo deus eorum factus esset; respondet, eum Thoro similem esse factum, malleum manu tenentem, staturâ magnum & introrsum cavum; sub eo suggestum factum, cui insistit, quando foris est; *Ornatu aureo & argenteo eum non carere.*

„*Thá sáo their mikinn fiolda búanda fara til things, oc báro i milli sín mannlíkan mikit, glæſt allt med g u l l i oc ſ i l f r i.*“

ɔ: „Deinde magnam rusticorum multitudinem, ad conventum euntium, et *simulacrum* hominis *totum auro et argento splendens* inter se gestantium viderunt.“

Quum deinceps idolum jussu regis contusum esset, Olaus rusticos ita alloqvitur:

„*Takit thar g u l l ydart oc g e r s e m a r, er her fer nu um völlo, oc hafit heim til qvenna ydarra.*“

ɔ: „*Aurum* vestrum & *monilia, in campo nunc dispersa***) capiatis & uxoribus vestris domum feratis!“

In historiæ Nialis cap. 89, idola in templo quodam in Gudbrandsdalen, tempore Haquini comitis (Jarl) ita describuntur:

„*Um nottina fór Vigahrappr til godahús theirra Iarls ok Gudbrands. hann gekk inn i húſit. hann ſá Thorgerdi Havrgabrudi ſitia ok var hon ſva mikil ſem madr*

*) *Mæren* prædium est in regione, quæ nunc dicitur *Sparboen*, parochia in dioecesi Nidarosiensi.

**) Exinde patet, simulacrum etiam pluribus ornamentis minoribus fuisse instructum.

roſkinn. hon hafdi mikinn gullhring á hendi. ok falld á höfdi. hann ſviptir hana faldinum ok tekr af henni gullhringinn. Thá ſer hann kerru Thórs ok tekr af honom annan gullhring. hann tók hinn thridia af Irpu ok dro thau öll út, ok tok af theim allan b ú n a d i n n ſidan lagdi hann elld i godahúſit ok brendi upp."

ɔ: „Noctu Vigahrapp ad templum comitis (Haquini) & Gudbrandi (Dale - Gudbrand dicti) profectus est. Ædem intravit; ibi Thorgerdam Haurgabrudam virum adultum magnitudine æqvantem vidit sedentem. *Armillam magnam auream* brachio & velamen capite tulit. Velamen ei abripit et armillam auream aufert. Deinde veham Thori observans alium *orbem aureum* ei aufert, et tertium Irpæ (deæ, quæ Thorgerdæ soror habebatur) aufert; denique omnia (idola) foras traxit, et *omnibus ornamentis* spoliavit; templum tandem accendit et igne absumsit."

In Færeyinga Saga (historia insularum Færöe) cap. 23tio aliud Thorgerdæ Haurgabrudæ simulacrum ita describitur:

„*Inn gánga their i huſit Hakon ok Sigmundr --- thar var ſjöldi goda ---- Kona var thar innar i huſit um thvert, ok var hún vegliga búin. Iarl kaſtadi sér nidr fyrir fætr henni, ok lá leingi, ok ſidan ſtendr hann upp ok ſegir Sigmundi, at their ſkulu færa henni forn nokkura, ok koma silfri thvi á stólinn fyrir hana. En that skulum vid at marki hafa, ſegir Hákon, hvort hun vill thiggia, at ek vildi at hun léti lauſan h r i n g thunn er hún hefir á hendi ſér; áttu Sigmundr af theim hring heillir at taka. En nú tekr Iarl til hringsins, ok thikir Sigmúndi hún beygia at hnefann, ok nádi Iarl eigi hringnum. Iarl kaſtar ſér nidr í annan tima fyrir hana, ok that finnr Sigmundr, at Iarl táraſt, ok ſtendr upp eptir that, ok tekr til hringsins, ok er thá lauss*"

ɔ: „Haquinus (Jarl s. comes) et Sigmund (filius Bresteris Færoiensis) ædem intrant..... ibi multa erant Idola ..... Mulier (ɔ: simulacrum mulieris) ibi e regione intrantium splendide ornata apparuit. Comes se ad pedes ejus prostravit et diu jacuit; surgit deinde et Sigmundo dicit, ut aliquid ei offerrent et argentum in sella ante eam ponerent. Exinde vero, inquit Haquinus, intelligemus, num hoc accipere velit, quod tum *orbem*, quem in summa manu gerit (ɔ: armillam) laxabit; hic orbis tibi, Sigmunde! secundam fortunam parabit. Comes nunc orbem prehendit; illa vero manum retrahere Sigmundo videtur; et comes orbem non adeptus est. Comes se coram ea iterum prosternit, et Sigmundus eum lacrymas effundere videt; deinde surgit et orbem prehendit jam facile sequentem."

Alius idoli Thorgerdæ Haurgabrudæ mentio fit in historia Olai Tryggvii filii, ed. Skalholt. P. II. cap. 53 p. 198.

Thorkel Dyrdill, Olai regis avunculus, templum novit, in quo Haquinus comes Thorgerdam Haurgabrudam coluerat, et illuc regem duxit. Olaus ædem pulcram et bene ornatam vidit. Deinde ita loquitur auctor.

„*Thar var oc buit eitt sæti harla fagurt oc i thvi sæti sat ein Kona klædd harla vel ----- Konúngr thottiſt skilea at theſſi var Thorgérdar likneskea, hann tok tha g u l l oc s i l f u r oc g o d k l æ d i af likneskiunni*"

ɔ: „Parata ibi erat etiam sedes admodum pulcra, cui mulier laute vestita insedebat ....., Rex hoc esse simulacrum Thorgerdæ intellexit; *argentum, aurum et vestimenta bona* itaque simulacro abstulit."

In historiæ Olai Sancti, auct. Snorrio cap. 143 idolum Bjarmicum Jomale ita describitnr:

„*Thorir veik aptr til Jomala, oc tók silfr-bolla, er stód i Kniam hönom; hann var fullr af silfr-Penningom - - - - Sidan rann Karli at Jómalanom; hann sá at digurt men var á hálsi hönom. Karli reidi til öxina, oc hió i sundur tigilinn, er var aptan á hálsinom, er menit var fest med*"

o: „Thorer (Hund dictus, præfectus Norvegicus) ad simulacrum Jomali reversus, craterem argenteum, genibus ejus impositum, numis argenteis plenum, abstulit . . . . . Postea Karlius ad Jomalum accurrit; vidit *ornamentum aureum crassum* collo ejus esse impositum. Postea Karlius securim sustulit et nodum, quo ornamentum in cervice junctum erat, secuit."

Ex hisce locis videmus itaque, simulacra gentilium septentrionalium ornamenta aurea diversi generis et formæ gestasse, *ornamenta aurea crassœ collo imposita*, *in cervice juncta* (quales sunt orbes Tab. I fig. 1 et 2) *armillas* (quales sunt in Tab. I. fig. 3. 4 et 5) *vestimenta*,*) quibus jungendis fibula (qualis est in Tab. I. fig. 6) inservire potuit, et multa ornamenta aurea et argentea minora (qualia sunt reliqua, quorum in hac dissertati uncula fit mentio.)

Ad hanc conjecturam magis verisimilem reddendam confert etiam traditio, ab eo loco, qvo res repertæ sunt, templum gentilium olim haud longe dissitum fuisse referens.

Pretium omnium harum rerum, 2030 Spec. mon. Norv. (fere 400 lib. Sterl. mon. Angl.) inventori et prædii possessori ex ærario publico est solutum, et res ipsæ Universitati nostræ traditæ.

---

*) Non possum non commemorare, in templis Buddhistarum in insula Ceylon plures imagines deorum et dearum pictas videri, vestimentis, torquibus, armillis et aliis ornamentis instructas (Cfr. An Account of the interior of Ceylon etc. by *John Davy*. London 1821. 4to pag. 199, et Tab. VII. Nescio num, qui de origine communi Buddhaismi indici et religionis Odinianæ scripserunt, hanc simulacrorum similitudinem animadverterint.


Fig. 2.
Fig. 6.
b
Fig. 4.
ig. 5.


Fig. 1.
Fig. 6.
a
Fig. 7.
Fig. 2.
Fig. 6.
b
Fig. 3.
Fig. 5.
Fig. 4.



Fig: 11.



Fig: 17.

Fig: 16.

Fig: 18.

Fig: 28.



Fig: 23.



Fig: 30.



Fig: 29.

Fig: 31.



Fig 8
Aur
Fig 9
Aur
Fig. 10
Aur
Fig. 11
Aur
Fig 12.
Arg
Fig. 13
Arg
Fig 14
Fig 15.
Fig 16
Fig 17.
Fig 18
Fig. 19
Fig 20.
Fig 21
Fig 22
Fig 23.
a
b
Fig 28
Fig 29
Fig 24
Fig 25.
Fig. 26
Fig 27.
Fig 30.
Fig 31

DEC 13 1966

Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: AUG 2002
PreservationTechnologies
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION
111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

LIBRARY OF CONGRESS
0 009 627 666 7